



L. h. 180.

1) Karl I.

nebst 21-187



2

GRATV

LATIO DE ADVENTV

Imperatoris Caroli eius nominis

Quinti, per Petrum Nanniū

Alcmarianū apud Louas

niēses in Collegio tri

lingui siue Busli-

diano Latinū

Professorē.



Lb 180

Louanij ex officina Rutgeri Rescñ.

Anno M. D. XL.

Men. Febr.

4<sup>te</sup> m<sup>o</sup> p<sup>o</sup> p<sup>o</sup>



50 GRATV

LATIO DE ADVENTV

Imperatoris Caroli eius nominis

Quintus per Romanum Imperium

Almanachum apud Pontis

in Collegio in

lingua sua Bulla

anno Domini

1701

Louise de Bourbon

Anno M. D. C. C.

M. Feb.



# GRATV

## LATIO DE ADVENTV

Imperatoris Caroli eius nominis

Quinti, per Petrum Nanniū.

Alcmarianū apud Loua-

nienſes ī Collegio tri-

lingui ſiue Buſſi-

diano Latinū

Profeſſorē.

**P**OST TOT annorum abſentiam, poſt  
tanta pericula interieſta, etiā qualēcūq; te  
recepſiſſe Auguſtiſſime Ceſar inter maxima le-  
ta numerandum fuiſſet. nunc vero ita te redu-  
cem fieri, vt ſummam gloriam de Turcis, ma-  
ximam amicitiam ex Chriſtianis, vna cum au-  
reo ſeculo tecum referas, quibus letitijs, quibus  
gaudijs, quibus ſupplicationibus, celebrari de-  
bet. Nō enim tam vniuerſę Galliæ nobilitatē,  
reuerendiſſimos Cardinales, Epiſcopos maxi-  
mos, porentiſſimos Principes, clariſſimos Du-  
ces in comitatu tuo habes, itineriſq; ſocios, q̄ gē-  
tium beniuolentiam, populorum concordiam,  
pacē æternam, Chriſtianæ religionis inſtaura-  
tionem. Quod ſi bella a tergo vel in Italia, vel  
Hiſpania reliquiſſes, nobis quidē aduerſus in-  
certa caſuum & preliorum magnam fiduciam  
attuliſſes, illos in metu inter pericula deſeru-  
iſſes. Nunc autem illis ex firmiſſima pace ſecuri-  
tatem, nobis tuo aduentu inenarrabilem ani-  
mi exultationem apportaviſti. Videmus enim eū

A ii princi-



# GRATVLATIO DE:

principē ac præsentem præsentes coram oculis  
intuemur, quem nobis non solum legitima suc-  
cessio, non ius sanguinis tantummodo, sed ipsa  
natura dedit, quem patria nostris in sedibus e-  
ducauit, in quo hæc Belgica non principem tã-  
tummodo, sed ciuem, sed alumnũ, sed partũ  
suũ agnoscit. Cuius virtutes benignissima for-  
tuna, fortunam amplissimæ virtutes condeco-  
rant. Quid enim in vllis Imperatoribus aut fe-  
licitatis, aut virtutis fuit, quod in te Augustissi-  
me Cæsar non cumulatissime inueniatur. Quid  
in tuis maioribus illustre & excellens, qđ in te  
ipso nō illustrius & excellētius deprehēdatur?  
Qui nō ideo laudādus es, qđ ex optimis regib⁹  
& Impatoribus sis natus, sed qđ optimus Rex,  
optimus Imperator oĩm dotes in te possideas.  
Laudatur Iulij Cæsaris felicitas, qđ te felicius:  
qui nec in bello cladē, nec in pace cōspiraciones  
vllas perpeßus es. Octauij Augusti cōnomia  
mirifice pbat̃ur, quid tua disciplina meli⁹. Cō-  
fer Iulias Augusti filias cū tuis sororib⁹, ibi me-  
retrices, hic Dianas, aut si qđ Dianis castius con-  
spexeris. quāt⁹ vterqđ sit ī disciplina domestica,  
ex moribus suorũ estimate. Celebratur encomijs  
Titī Vespasiani gratiositas, sed illa, et ab odijs  
incepit, & fortasse in odiũ degeneratura, si diu-  
tius in vita pmanisset. Statim enī ex humanis  
abreptus est, pcul a satietate, pcul a nausea, quā  
longũ tēpus adducere solet. Caligula si primo,  
Nero si quinto, Tyberius si decimo Imperij sui  
anno obijisset, deflorescentē grām expertus non

fuisset.



# ADVENTV CAESARIS.

fuiſſet. Tui amor & popolare oīm in te ſtudiū  
cū annis, quali ppetuo iuuetā ſine ſenio adule-  
ſcere vidēt. Vt pulchrior cū etate accreſcēte Au-  
guſti Liuiā, & ſingulis annis ſeiſa formoſior,  
ita tua grā diuturnitate tps robur colligit. Nu-  
mę pietas ī īmenſū attollit, ſcilicet, q̃a quatuor  
veſtales. 30. annorū pudicitie cōſecrauerat, quia  
flamines aliq̃t, ſalios, p̃ſules iſtituerat. Tuę reli-  
gioni, & pietati ruinoſa p̃p̃modū eccleſia inni-  
ti vidēt, oēm q̃ ſpē in tua prudentia poſuiſſe.  
probat nō tenuiter Pertinacis cōtinētia, ſed bre-  
uis illa, nec annorū diuturnitate p̃bata, et regni  
lōgo vſu nondū ebria. Optim⁹ Alexander Ma-  
gnus añ deuictū Perſarū regē, ſed vbi ſe fortu-  
na Perſica eius aīo infuderat, non ferens luxurię  
felicitatis bacchabūdus in optimū quēq̃ ſeuīt,  
Tu ex affluētiffimis fortunis nihil quodāmodo  
niſi curas hauris, vt oīm pater ſollicitus p̃ tuis  
affectu patrio. Nihil regiū p̃ te fers niſi ī aī ſub-  
limitate. Tecq̃ a vulgo nō cultus inſignior, non  
purpura ardētior, ſed vultus famā celebratior  
distinguit. Traiani iuſticia oīm monumentis  
cōſecrata eſt, & in q̃ laudando Plinij ingeniū  
vſq̃ ad fatigationē defudauit, iſta in parte tuę  
laudes nō vnū Pliniū, ſed multos Cicerones et  
emererēt, et fatigarēt. Sed qd ego te cū externis  
conſero. Prodeāt tui ipſius maiores Frederici,  
Maximiliani, Ferdinādi, Philippi, Caroli, p̃-  
ſtātiffimi heroes, videam⁹ vni ne ex illis, an oī-  
bus pariter ita ſimilis ſis, vt te huius generis plē-  
agnoscant, maiorē tamen fateantur. Sed in tuo  
q̃ primū ſeſe offert Philinn⁹ ille Bon⁹ p̃iceps





# GRATVLATIO DE

re vera non minus prudens q̄ bonus. An huic  
 sis similis, ex adauctis ditionum finibus spectetur.  
 Ille Hannoniam, Flādriam, Hollandiam,  
 Zelandiam suo imperio adiecit. Tu duas Fri-  
 sias, Traiectū inferius, Transisulanas ciuitates  
 tuis regnis adiunxisti, ut interim taceam quid  
 alibi locorum tuis finibus addideris. Qd̄ si re-  
 licto Abauo, ad Proauum tuū Charolū cogno-  
 mento Audacē descēdatur, videbimus te in hu-  
 ius mores non minus q̄ in ipsum nomen et re-  
 gnum successisse. Ille impiger bellator, primus  
 in acie, primus in pugna, strenui militis et boni  
 ducis opera preclarus. Te Africa uidit princi-  
 pem inter antesignanos, obuium periculis inter  
 prōptissimos, infestū hostib⁹ inter acerrimos,  
 prima vulnera spargere et principalibus armis  
 auspiciatissimū exordium prelii dare. Iā in hoc  
 decursu stemmatum ad Philippum patrem tuū  
 peruenimus. Nam auiam Mariā laudatissimā  
 Heroinā in medio relinqmus. huius pulcherri-  
 mae uirtutes ī sororibus tuis clarissime relucēt.  
 ibi iuenias pudicitiam plus q̄ Lucretianam, cō-  
 iugij fidē sanctissimam, mariti amorē summū,  
 animum a nenijs & nugis auersum, laxamenta  
 curarum solūmodo in mascula venatione quae-  
 rētem. Cū patre autē tuo omnia tibi ad amuf-  
 sim conueniunt, pectus placidissimum, amātis-  
 simum pacis, & in cognatos indulgentissimus  
 affectus. Reddidit pater tuus Carolo Hegmon-  
 densi ablatas Gelriæ ciuitates, reddidisti & tu.  
 Neuter sustinuit cognatum suū, quem iure &



# ADVENTV CAESARIS.

armis poterat, imperio Gelriae exuere. Percurrit pater Gallias cum summa alacritate, percurristi & tu cum summa fiducia, utriusque summi honores ab alienigenis exhibentur. Enumerauimus aliquot imagines vnius domus, nam omnes recedere in infinitum exiret. Quod si trans Apeninos montes narrationem sectamus, ibi nobis occurret Hispaniarum liberator, Maurorum expugnator catholicus ille Rex Ferdinandus, ex cuius sanguine inter ceteras virtutes istum propagandae fidei ardorem hausisti. Ille Granatum, tu Africam Christianorum finibus accumulauisti. In insulis Antipodum inueniendis, utriusque idem labor & felicitas. Transfero me ad patrum genus, non enim fontes exhaurire studeo, sed delibatione attingere, ibi sese Maximilianus ostendit maximus animo, maximus rebus gestis, de quo non plura dicam, nisi quicquid in illo fuit, id una cum imperio Romano in te transfusum esse, quis enim te similior Maximiliano in peritia bellica? quis in militum delectu accuratior, in struendis aciebus solertior, in pugnae loco capiēdo sagacior? Testis est Tunetensis expeditio, ubi in exiguis copiis validissimos exercitus contra hostem adduxisti. nullus ibi lixa admissus, nullus calo, nullus tiro, sed veteranus miles, non impedimentis oneratus, sed armis instructus. quot ibi capita, tot pugnatores, & qui victoriae assuetas manus in praelia adferrerent. Hic illa tam parua manus tot myriades Maurorum in fugam vertit, inexpugnabiles arces subruit.

idem



# GRATVLATIO DE

idq; tam breui tempore, vt titulum Iulij Cæ-  
 saris meritissimo iure referre posses, veni, vidi,  
 vici. Nemo Maximiliano, nemo te, & in inuitā  
 dis virtutibus blandior, & in renumerandis of-  
 ficiosior. Restat nūc Fredericus Imperator, cu-  
 ius mores habere magis, q̃ exercere potuisti, ille  
 pacem perpetuā fouit, tu optauisti. Idem ani-  
 mus vtrobq; non eadem fata. Nūc autem de-  
 incepta certa spes est, te in Christianos Frede-  
 ricum placidissimum, in Turcas Maximili-  
 anum bellicosissimum futurum. Cū ergo in  
 te principe oēs principes, in te Imperatore oēs  
 Imperatores recipiamus, nō capiūt gaudia sua  
 animi nostri, nec inuenit officia deuota chari-  
 tas, quibus mentem suam explicet. quicquid enī  
 conatur, quicquid molitur, id infra tuam digni-  
 tatem Cæsar, id infra suum votum, infra cogita-  
 tionem suam sentit. Quod si esset vlla tam exo-  
 culata cæcitas, quæ istas tuas virtutes non senti-  
 ret, nec intelligeret, qbus officijs, qua reuerētia  
 tibi occurrendum esset, ea amplius cecutire nō  
 posset, postq̃ vidit vniuersas Gallias ferme per  
 totam hyemem in tuos honores lategisse. Quā  
 enim sis rebus gestis admirabilis, morum inte-  
 gritate venerabilis, docet iste quasi triumphus  
 amicitiae per Galliam ductus. Ostendūt isti im-  
 mensi honores, qui tibi ab alienigenis, ab exter-  
 nis, imo non ita pridem ab infensissimis hosti-  
 bus exhibiti sunt, ijq; nec bello expressi, nec me-  
 tu coacti, nec spe elicti, nec promissis eblanditi.  
 Gratuitum est, voluntarium est, spontaneū est

quic



ADVENTV CAESARIS,  
quicquid tibi a magnificentissimo Galliarum  
Rege, quicquid ab humanissimis Gallijs tri-  
butum est. Aliorum triumphus ad summum  
quatriduani temporis est, et sepe dissentientibus  
animis impetratus, vel Plebe, vel Patritio or-  
dine eum honorem denegante. Aliorum triū-  
phus semper cum aliquot amissorum militum  
iactura functus fuit, nunq̃ integram letitiam  
ad ciues pertulit. Aliorum triumphus non mi-  
nus militi q̃ imperatori debitus. solidā laudē  
in possēssionē ducis puenire non sinit. Aliorū  
triumphus ita laureā retulit, vt hostibus rebel-  
landi aīos semp, nonnunq̃ & opes vincēdi re-  
liquerit. Tua ista triumphalis gloria, nō tri-  
duani aut quatriduani curriculi est, sed magnā  
partem hyemis suo spatio absumpsit. Non dis-  
cordibus animis ab aliquibus concessa, ab ali-  
quibus negata, sed inquam vnanimi pectorum  
conspiratione ab omnibus consensum est. Nec  
ex funere alicuius, aut apertas lachrymas, aut  
tacitos gemitus habuit, sed publica omnium le-  
titia celebrata fuit. Nō hac in parte socios lau-  
dis pateris, nec communione quod alijs datur,  
tibi decrevit, sed tuis tantummodo meritis ac-  
ceptum refertur, quicquid in hac magnificētia  
impensum fuit. Aliorū triumphus a porta ali-  
qua ad montem Capitolinum breuissimo spa-  
tio, atq; intra moenia vni⁹ vrbis extēdebatur.  
Tuum istud Caesar triumphale decus a Pyre-  
neis montibus, per immensa terrarum spatia,  
per innumeras gentes, trans flumina maxima

B. vlc3



# GRATVLATIO DE.

vsq; ad Belgicum Oceanum decucurrit, nouos  
semper populos ad spectaculum sui euocans,  
in quo nulla mala, triūphi, & omnia bona ad-  
erant. Non enim ibi cernere erat, concatena-  
tos Reges, squalidos Duces, captiua vulgi cor-  
pora, milites & suis sceleribus plenos, & mul-  
tis conuictis in suum triumphatorem dicaces.  
Nemo illic lachrymis maduit, nisi gaudio ex-  
pressis, nemo suas fortunas deplorauit, nemo ce-  
dibus funestus, nemo damnis moestus, par vbi-  
q; & in omnibus eadem letitia. Sed cernere erat  
Europeos Principes, primumq; inter eos Chri-  
stianissimum Regem, cōnubijs affinem, animo  
fratrem, nullo officiorū genere cessare, Regios  
iuuenes, nō tā se Francisci, q̄ Caroli filios cultu  
& obsequijs declarare, Prīcipes nobilissimos sa-  
tellitum vices implere, Procurri obuiam ab o-  
mnibus ordinibus, militare robur splendidissi-  
mis armis. Ecclesiasticā turbam cultus sanctita-  
te conspicuam, senatum oris grauitate reueren-  
dum sese offerre, Reliquum vulgus adorabun-  
dū, venerabundum partim sequi, partim prece-  
dere, partim ab omnibus lateribus circūfundi,  
Cesarem interea in medio receptū, quasi numē  
aliquod deduci. Nec istū honorem breui satiera-  
te refrigescere, sed ad singula oppida denuo inar-  
descere. Et ne quisquā expers letitię esset, reclu-  
dunt carceres, dimittuntur vincti e ferali custo-  
dia. Nō oia tantummodo suppliciorū, qualia  
Christiani Aethiopes singulis Veneris dieb; in  
purgatorio credūt, aut qualia ad Orphei cantū



# ADVENTV CAESARIS,

in tartaro fuisse poetę fabulant, sed libere ipu-  
 nitates cōceduntur, nō ad dilationē poenarę, sed  
 ad ppetuā cōdonationē. Iustitiū in foro, nō bel-  
 lorę occupatiōe, nō tumultuū discursib⁹, sed vt  
 oib⁹ sint laxamēta, ocia, vacatiōes ad gaudia fre-  
 quētanda. Tonāt fulminibus suis bōbardę, nō  
 vt solito suo more stragē edāt, sed vt grāditate  
 soni acclamationū fragorē imitent, suoq; toni-  
 tru plausuū popismata representent. Nec desi-  
 nunt campanę festiuo boatu oīa implere, letis  
 ominationibus, faustis acclamationibus cūcta  
 pstrepunt, ferit aurea sydera clamor, Thymia-  
 matum, aromātū fragrātia dulcissimos odores  
 spargit. Missilia herbarū, florū, fruticū, hyemē  
 vincunt, frondibus, folijs nihil nō vernat. Spe-  
 ctacula omnigena, tū tacitarum personarū, tū  
 loquacium vbiq; eduntur, nihil omittit, qđ vl-  
 lā speciē leticię, festiuitatis exhibere potest. Verū  
 circa ipsum Cæsare mirū ex admiratione silen-  
 tiū, hærent oculis, hærent animo, pectora cogi-  
 tationibus plena, vox nulla, strepitus nulli, cu-  
 piūt omnino Cæsaris vultum menti recondere.  
 Dolēt tam exiguum spaciū contemplationis  
 dari. Illic Physiognomus in corporis for-  
 ma, mores, & ingenium Cæsaris deprehendit.  
 Hic ex oris grauitate constantiam, ille ex sere-  
 nis oculorum facibus clementiam, iste ex com-  
 positi vultus reuerentia pietatē, alius rursū  
 alijs signis fortitudinē colligit. Decipit nemo,  
 nemo sua diuinatione frustratur, tales inue-  
 niunt virtutes, quales ex lineamētis coniectāt.

D. H. Alms



# GRATVLATIO DE.

Alius in fata curiosus, & horoscopi obseruans, per omina & sydera fortunas Cæsaris dispensat, huius natalem diem annum nō habere, sed ex intercalatione accipere, vt intelligas esse institutum Principem, & quasi coelitus huic orbi immissum. Hoc quoq; ab ipsis annotatur, huius ortum post centesimum annum cum nouo seculo incepisse, vt euident augurium sit, nouū seculum ab eo conditum iri. Nec minora in syderibus animaduertit, q̄ in ominibus deprehendit, miraturq; hac in parte stellarum, & suæ artis eximiam fidē. Alij inter letissima prodigia ducunt initialem diem vitę Cæsaris, tot præclarissimis rebus insignitum esse regnorum inaugurationibus, victorijs maximis, adeo vt hæc apud posteros admirationem facile, fidem difficulter sint habitura. Vagantur oculi & desultorio visu a Cæsare in clarissimum principem Delphinum, deinde in generosissimum Ducem Aurelianensem, mox in alium atque in aliū transcurrunt. Oberrat oculorū acies inter tot formas magnorum heroum, nec se in vna sede figere potest, cum aliorum statim a proxima dignitate abripiatur. Et cū auiditas spectandi se per omnia circumferat, longiore tamē mora in Cæsaris vultu conquiescit. Hunc enim prædestinato scopo contemplandi habent, reliqua inter parerga ducunt. Non aliter q̄ si omnium stellarum coelestia lumina sub vnum obtutum visenda proponerentur, nihil non ibi diuinum putes, solem tamē præcipue admireris, illa per-



# ADVENTV CAESARIS.

functorie lustres, in hoc quantum licet, defixus  
 hæreas. Nescio an plura in honorē tui fieri pos-  
 sent Augustissime Cæsar, tu certe vetuisti ne  
 plura fierent, imo hoc ipsum quod factum est,  
 deprecatus es. Non enim intra hanc mensurā  
 quæ mensura carere videtur, Gallorum magni-  
 ficentia constitisset. Obtemperatum est tibi ab  
 optimo maximoq; principe Francisco, quia nō  
 minus obsequiū q̃ honoris tuis gratificatiōib⁹  
 impensum voluit. Qui tamen vt omnia quasi  
 simul ageret, & intra vnum factum cuncta cō-  
 prehenderet, iubendi, edicendi vniuerso iure in  
 te translato, Imperiū quasi habenas vltro reli-  
 quit. A te petuntur responsa, flagitantur sup-  
 pliciorum remissiones, ambiuntur ecclesiastica  
 beneficia, conferuntur Abbatię, vacantibus di-  
 gnitatibus possessores assignantur. Non ausim  
 te dicere Cæsar peregre esse, qui inter tuos ver-  
 saris, nō ausim te ī alieno regno esse asseuerare,  
 cū ex tuo imperio omnia fiant. Si aspicio Gal-  
 lorum beniuolentiam, qui magis tui q̃ Galli-  
 si obedientiam, qui magis subditi. Ius regno-  
 rum apud Franciscum est, fructus & volu-  
 ptates in te redūdant. Quam ingeniosa est be-  
 neuolentia, q̃ efficax humanitas, q̃ supra vires  
 conatum extendit, q̃ ipsam naturam transgre-  
 ditur. Nō potest esse nisi vnus Francorū Rex,  
 nam quicquid communicatur, ipsa diuisiōe car-  
 pitur. Nunc autem vide an quippiam ex Gallia  
 desit Cæsari, an desit Frāncisco. In solidū vterq;  
 possidere videtur. Non hic referam præstantiss-

simi.



# GRATVLATIO DE

simi regis profluentissimas lachrymas, quas pietas genuit, gaudium extrusit, qua in parte nec tua lumina sicca fuere pientissime Cæsar, cum videres Regem afflictissima valetudine, nescio an sine periculo salutis, certe non sine ingēti corporis vexatione in tuos amplexus deproperare, & exēstuate benevolentissimi affectus ardore verba inter salutandū in medio truncare. Non hic referā charissime sororis Helionorę arcēssimos cōplexus, singultantia verba, mēbra impetu lēticę cōquassata vix tenerū corp⁹ sustinuisse, oculos inter lachrymas de fixo obtutu immobiles hēsisse. Maiora enī sunt, quę animi tacito sensu intra p̄cordia egere, nec uerbis aliorū comprehendī possunt, quę ab ipsis autoribus nullis verbis, nullis indicijis significari potuere. Non hic referā vnica Regis Gallorū filiæ verecundā salutationē, in cuius ore inter infinitas Charitū dotes, pudor quasi qbusdā rosis vernabat. Par Nausicaę forma, dispar moribus, maior fortunis, illa p̄stantissimū maritū optat, ista mere tur, nec de viri maiestate amorē protinus, sed admirationē haurit. Certe ea beatitudine formę, morū p̄stantia, vt eā tibi vxorem, & superi destinare, & oēs mortales optare videant. Quid hic adducā argenteos Hercules magnitudine & pōdere vere Herculeos, & giganteę molis tibi donatos. Quid aureas aqlas Romanę ditionis insignia, munera non minus opulētia, q̄ ingenio & artificio visenda. Herculi si iussis, vt columnas suas Calpem & Abilam

istis



# ADVENTV CAESARIS.

istis aquilis imponat, ostenderes symbolis, quæ  
factis representantes, promoues enim Herculeos  
terminos, nec eos fixos sinis, vt ille, sed quasi a  
quilis ipositos celerrime profers. Ille vltra A  
thlantem non progressus est, tuę naues quotan  
nis ex altero orbe, ex Antipodibus spolia ama  
plissima referunt. Quod pleriq; philosophi,  
plurimi theologi non ausi sunt credere, quo o  
mnium maiorū etas nunq̃ peruenit, ibi tu latif  
sima regna imperijs premis, ita vt te nō minus  
liceat Antipodum Cæsarem, q̃ Christianorū  
appellare. Quid hic adducam plurimarum ci  
uitatum ingentia dona, quæ magnitudine sua  
omnem estimationem transcendunt. Collige  
bat quotānis Octau<sup>9</sup> stipē a populo Romano,  
congestā illā pecuniā, si cū his thesauris cōpara  
ueris, mēdicabulum dicas. Accipit Penelope a  
singulis procis munera, Vlysses a primoribus  
Phœacū. cōfer illa cū hac magnitudīe, q̃squillas,  
retrimēta, scobē appelles. Adferāt oēs Mo  
narchę suas glorias, suas adoratiōes, suas aras,  
sua tēpla dicata. Cōfundat in vnū, qcqd illorū,  
vel virt<sup>9</sup> ex merito possedit, vel tyrānis ex adula  
tione corripuit, nihil inuenies quod compara  
bile sit, quod cū istis honoribus equiparari pos  
sit. Hic in honorando veri animi, libētes animi,  
emuli inter se animi, dolentes animi, quod non  
plus reuerentię, non plus beneuolentię exhibe  
re possent. Quicqd hic actū est, ex sinceris iudi  
cijs profectū est. Nō enim ciues fuere, q̃ ista fece  
rūt, q̃s amor patrię obcecāre poterat, non il



# GRATVLATIO DE

li, quos priora beneficia ad gratitudinem obligauerāt, sed quos seuum, asperum, diuturnum, auitum, proauitum, abauitum bellum, multis hinc inde cladibus efferauerat. vt intelligas soli virtuti datum esse, quicquid datum fuit, nec alia commendatione hanc reuerentiam natā esse, q̄ ex Cēsarię sanctitatis admiratione. Sanctissimus vir Phocion, sanctissimus Cato, optimus ciuis Themistocles, optimus ciuis Camillus, fortissimus dux Hannibal, fortissimus dux Alcibiades, sed quorum virtutes pro premio a ciuibus suis, vel mortes, vel exilia retulerunt. Tua virtus adeo felix est, vt etiam apud paulo ante insensissimos hostes diuinis plane honoribus afficiatur, nō aliter, q̄ si fortissimum Achillem ab Hectore, & ab omni Troianorum populo honorificentissime tractari videas. Fingo exemplum ad comparisonem, quia rem gestā nusquam habemus, admirāda rei nouitas nihil simile ex aliorum seculorum factis nobis reliquit. Insignia & permulta decora sunt tue fortitudinis et magnanimitatis generosissime Rex Franciscus. Sed huic tuo facto cætera tua ornamenta, veluti minora ac propemodum admiranda sese inclinant. Hic enim non vnum specimen tue virtutis editur, nec animi tui altissima sublimitas solam se spectandam præbet, aut efusissima liberalitas digna opulentis Gallicis, digna Francisco Rege, sed & fides, integritas, pietas, ius, fas, sanctitas, religio amicitie & affinitatis, quasi in theatro sese ostendunt. Multa

quocq;



ADVENTV CAESARIS,  
quoq; & admiranda fecisti victoriosissime Ce  
sar. Videmus Solymannū tuam propinqua  
tem exhorrescentem, relicta Viennensi expedi  
tiōe, ad quam vniuersum orbem concitauerat,  
trepidum amisso magno equitatu in latebras  
regni refugere. Videmus AEnobarbū e Tyrā  
nide sua exturbatum, pro rege & dominatore  
extorrem agere, Tunetensem principem suo  
solio restitutum, Africam post millesimū an  
num tuis sceptris & Christo vectigalem. Non  
loquar de victorijs ex Christianis partis, quas  
tu inuitus possedisti, & cum dolore audis. Ia  
ceant hac in parte tuæ laudes sepultæ, quibus &  
maximè & copiosissimè. Non enim inde enco  
mia trahenda sunt, vnde tu dolorem sentis, &  
nos omnino nullam voluptatem percipimus.  
Redeamus ad tuas de Turcis victorias. Defen  
sam Italiam, vindicatam Siciliam, propugna  
tas Hispanias a Turcarum incurso, Solyman  
num ex Illirico, et Germania summotum inter  
tuas laudes recēseamus. Ingētia, inq̃, fecisti Ce  
sar, & admiranda tuis inuictissimis armis, sed  
multis annis. Nunc te ostendis idq; breuissimo  
tempore plura animorum beneuolentia, q̃ ar  
morum truculentia facere posse. Tua tota est  
Gallia, quæ se totam in tuos honores effundit.  
tua tota est, quā in amico Rege possides. Et vt  
illa nunc te cum omni nobilitate deducit, ita  
tuum auspiciū, tuum ductum, Christi vexil  
lum aduersus immanissimos Turcas promptis  
simis animis sequetur. Nullus iam Gallorum  
C      gesa,



# GRATVLATIO DE.

gesa, nullus iam Hispanorum lanceas, Germanorum frameas, Italorum pila, nisi Turca, nisi Solymanus, nisi Mahumeta timeat. Nam quāquam mūdus in duas partes diuisus ē, ut horreant te mali, admittentur boni, non es vllis nisi Turcis formidāndus. Aliorū te in bella necessitas impulit, nunc te in Turcas voluntas instigat. His infestus es, his immines, aduersus hos pietas te armat, aduersus hos Imperatorē te, & ab hominibus electū, et a Deo cōstitutū existimas. Semper enim tibi, quasi in auribus tuis insonare videtur querimonia illa occisorum Christianorum, Vindica sanguinē. Sanctorum, qui effusus est. Ad hanc vindictam sumēdam, quę iam ferme centū annos impunita fuit, plurimū virium Franciscus adiunget, qui gloriam deuictorum ethnicorum nō in auis & proavis suis solū, sed in suis triumphis possidere cupit. Quid sperandū tibi de potentissima Gallia, eorū effusissima beneuolentia cognouisti. Habes iam Franciscū Regem non stipulatiōibus verborum tibi obstrictum, sed beneuolentia coniūctissimū, corpore tantummodo diuersum, animo eundem, viribus socium. Cui debemus quāso hanc tam firmis radicibus nixam pacem, cui aureum istud aurei seculi donum. Deo in primis omnium auctori, qui diuinitus & non sine ingenti miraculo vim suam in hoc negotio ostendit, & post Deū sapientissimis illis viris, qui istorum principū mores alteri alterius cognitos fecere, qui fidelissime exposuerūt, quāta in vtriusque principis aīo fidei sanctitas demerēdis.



# ADVENTV CAESARIS,

titudo, q̄ta fiducia de alterius innocētia, q̄ta securitas sui aliene potestati cōcredēdi, q̄ta cura crediti tuēdi. Hinc ille insperatissimus Christia-  
nissimi Regis excursus in Cēsaris triremē, hinc reditus ille Cēsaris in munitiōes Gallorū. Neutro-  
trobi postulati obsides, neutrobi recepti. libera-  
vtrōbiq; fides, nullo pignore, nullis vadib⁹, nul-  
lo necessitatis vinculo astricta. Sola innocētia,  
sola integritas, sola volūtas pfidiā exclusit. Nec  
felix ista securitas, sed prudēs habēda ē, q̄a iter  
sincerissimos hoēs versata ē. Nā vt sapiētia est,  
credere apud bonos bñ agier, ita temeritas est,  
q̄buscunq; etiā pignoribus nitaris, si apud ma-  
los hoēs aliene potestati tuū caput cōmittas. Se-  
mel Romā venit e sua Cappadocia rex Arche-  
laus maximis pmissis euocatus, rediit nūq̄. Se-  
mel Artabanus Persarū rex venit in castra An-  
tonini Bassiani affinitatis spe elicitus, trucidā-  
tis suis trepida fuga vix elapsus est. Semel con-  
gressus est Abner cum Ioab, sed in ipsa salu-  
tatione perfossus cecidit. Semel Mithridates  
cū sororis filio cōgressus est, sed hic statim post  
simulatos amplexus sicam in viscera recepit.  
Semel Ionathas ad Tryphonis epulas venit, sta-  
tim illius catenas hospitalis mēsa vidit, nec ita  
diu postea supplicium insecutū est. Semel Pom-  
peius Magnus, nauem Ptolemēi clientis sui, &  
suo beneficio regnantis inscendit, sed non nisi  
truncatus capite ad littora peruenit. Quid ita  
queso? non intercesserat iurisiurandi vinculū?  
non sacramentorū religio? non numinum obe-  
statio? non in violatorem dirarum imprecatio?



# GRATVLATIO DE.

non liber cōmeatus? omnibus modis, & promissus, & sancitus erat? Omnia facta sunt, quę hominū mentes ad fidem seruandam obligare possent. Sed erat potentior omni fide, omni religioe, omni iureiurādo spes alieni regni intercipiendi. Hinc ille senarius non vulgo tantū, sed a Principibus quoq; nō omnino malis vsurpatus, inter quos etiā est C. Iulius Cæsar. Si ius violandum, imperij gratia violādum est, in alijs pietatē colas, Quasi fas & pium esset, tū impium esse, quando cū periurio & scelere alienū regnū interuettere posses. Quam ob rem stupebit olim quęcunq; futura posteritas est, ad miraculum istius sanctissimę fidei, ac nescio an verum credent, quod nos omnibus sensibus verū esse experimur. Multis magnisq; rebus fortuna, & natura hanc nostram ætatem insigniuit. Varia & inaudita genera morborū orta sunt, bella cladibus & victorijs illustria, fata regū horrenda, religionum & opinionum diuersissimę factiones, artificum & eruditorum ingenia mira. In summa vitij et virtutibus tempora plenissima, ita vt nostro quo & ferreum seculum, et aureum simul extitisse videatur. Sed nihil tam memorandum, tam stupendum, tam omnibus modis predicandum, q̃ hanc fuisse religionem fidei in pectoribus Caroli & Francisci, quę nec memoria veterum simultatum, nec vestigijs recentium offensarum, nec spe amplissimorum regnorum labefactari potuerit, vt leuissimas cogitationes fraudis admitterent.

Quis



# ADVENTV CAESARIS,

Quis credidisset vnq̃, Cæsarem inermem inter Gallos, Gallorum Regem, inter Cæsarianos tutum futurum? Quanto metu Galli sui principis profectionem ad Cæsaris triremem intuebantur, quanta animi anxietate Cæsariani Cæsaris abitum ad Gallicas munitiones profecuti sunt? Vt horruerūt vtriusq̃ nationis pectora vt sollicite pauebāt, ne nō esset principibus ea fides, quā nunq̃ vidissent, nūq̃ audissent, nunq̃ legissent. Erat cā metuēdi, erat diffidēdi. Nulli enī obsides, nullū iusiurandū intercesserat, nisi coelestis quēdā & diuina sanctitas in vtriusq̃ principis animis īsedisset. Quid igit̃ istos antea ad tā graue bellū cōcitauit? qd̃ iter similes mores, discordiā inuexit? Vtriusq̃ ignoratio de alteri⁹ virtutib⁹. Quid rursus beneuolētiā istā eternā peperit? Vtriusq̃ cognitio de alterius virtutibus. Inuenerūt se animi magnitudine pares, innocētia, integritate, fide equales. Similitudo morū gratiā cōciliauit. Intellexit alter alterū talem esse, qualis ipse esset, q̃tū de se ipso, tantū & de altero sperauit. O sanctissimi illi & vere sapiētissimi viri, q̃ primi huius fiduciaē auctores fuere, q̃ ex bello pacē, ex cōcertatione prēliorū, cōtentionē officiorū induxerūt, quorū adhortatu & cōsilio ad mutua colloqa inter principes, ad mutuā vtriusq̃ ingenij cognitionē puentū est. Cur nūc quēso nulla admiratione p̃sequimur integros mēses in alteri⁹ ditione absumptos, ātea tā admirabūdi ad paucorū dierū cōmorationē? Assueuim⁹ iā huic insolite virtuti.

C iiii Diu



# GRATVLATIO DE.

Diuturnitas exēpli p tot dies frequētati, nouita  
tē exuit, admiraremur si cōtra fieret. Nūc cū id  
fit, quod expectabamus, nulla admiratione tā-  
gi possumus, nouimus iā vtriusq; sanētitatē fi-  
dei, quare vsū fidei nihil in illis stupem⁹. In a-  
lijs principibus fortasse admiraturi, cum quod  
spe nō prēsumptū fuerit, euentus declarabit, i-  
opinata enim stuporem, solita & expectata sine  
admiratione trāsmittūtur. Gaude ecclesia spōsa  
Christi, cōpletæ sūt calamitates tuę. Multū ex  
istorū discordia amisisti, lōge pl⁹ ex istorū cōcor-  
dia recipies. Intercepta est dū isti iter se mutuis  
cladibus atterūtur, Phoebea illa Rhodos, quā  
sol nullo nō die suis radijs illustrat. Euastata ē  
ferme vniuersa Hungaria propugnatrix illa fi-  
dei, terra mariq; ingēs clades accepta, nūc cū i-  
storū arma pax cōiungit, centuplū tibi ecclesia  
spera. Pro vna insula Rhodo vniuersas Cy-  
clades, vniuersas Sporades tibi ominare. p da-  
mnis Hūgarie duo maxima īperia tibi reddita  
existima. Tuā iā esse Cōstātinopolim, tuā Aeg-  
yptū tibi persuade. Para istis duobus capitū-  
bus duo diademata, huius imperij coronā Gal-  
lorū principī, isti⁹ Cēsari alacriter īpone. Solue  
Grēcia captiua filia Siō uīcula colli tui, iduere  
uestimētis glorię tuę. respexit deus humilitatē  
tuā, audiuit gemitus cōpeditorū. Dauid & Io-  
nathas ī tuā salutē cōcordes sunt. amāt se inuicē  
supra amorē mulierū, ipe nō adulescētes, vt il-  
li, nō priuati homines, vt illi, sed etate maturi,  
experiētia periti, regnis succincti. Nec Saul ille  
discordię autor ī medio ē, a eorū amicitia disti-



# ADVENTV CAESARIS.

neat, vsū familiaritatis prohibeat, occisus est in  
mōte Gelboe pacis gladio. Talē igit̃ cū te nobis  
recipiamus inuictissime Cæsar, talē ecclesie, ta-  
lem Christianis, quibus quæso gaudijs, quibus  
gratulationibus, quibus tripudijs animorum,  
qua festiuitate vultuū, qua gesticatione sen-  
suū diē istū tui aduētus celebrare debem⁹. Re-  
dis enī nobis quasi Abrahā ille a pugna Chor-  
dolamor, multis principibus comitatus, non  
vnica victoria, vt ille, sed plurimis, nō spolijs,  
sed amicorū muneribus plenus. Hoc q̃q̃ disse-  
rēt̃ est, qđ illū inuiti, te libētes psequūtur, il-  
lū necessitate, te volūate, illū captiui, te amici.  
Nedubites quin vt ibi Melchisedech sacerdos  
dei altissimi panē & vinū offert, ita q̃q̃ ecclesia  
Christi tibi et oībus tuis comitibus offert panē  
angelorum, et calicē dñi, q̃ cōfortati hac alimo-  
nia, in fortitudīe cibi istius ambuletis ad mōrē  
Dei, sepulchrū Christi a Mahumetica tyrānide  
vīdicaturi. Ille ī regressu suo oībus oīa ablata  
reddidit. Tu pacē orbi abstractā frustra p tot  
annos desyderatā in tuo reditu Christianis re-  
stituis. Ille festinatissimo cursu ad captiuū suū  
cognatum Loth deproperauit, tu celerrimis iti-  
neribus patriā nō nullorū seditione laborantē  
repetis. Declarauit vterq̃ festinādi studio quāti-  
suos faceret. Nō habet lēta molimina ingēs cha-  
ritas, amor qui de suorū calamitate metū cōcia-  
pit, ocior sagittis cursū intendit. Tu certe vt pa-  
trię tuę istius Belgicę desyderiū cito expleres,  
q̃ iā amplius moras tuę absentię pferre neqbat.

Nō



# GRATVLATIO DE

Nō mare ingressus es, vbi tua festinatio in ven-  
torū arbitrio esset, nō magno comitatu te impli-  
cuiſti, quæ ipsa sua mole tarditatē habet. Sed ve  
redariorū in morē minimo satellitio, non tam  
Gallias percurristi, q̃ tuos honores tibi vbique  
expositos accelerandi studio prætercurristi. Nō  
te turbida hyems, nō foedissimæ tēpestates, nō  
procelle inauditæ, nō Pyreneorū montiū altis-  
sime niues, vel ab incepto detertere potuerunt,  
vel in progressu detinere. Solū id tibi triste in  
Gallia fuit, q̃ præstantissimū Regem valetudi-  
nariū, q̃ charissimā sororem tua pietas non tā  
cito relinquere potuit, q̃ cursus festinatissimæ  
profectionis exigebat. Alioquin nec coelum in  
pluuias effusū, turbībus rapidū, frigoribus  
infestū tuū cursum inhibere potuit. Gaudet tua  
Belgica, dolet tua Belgica, & quicquid hic tui  
Imperij est, tantum suę charitati indultū inter  
lætissima habet, nec enim minus gaudet se cha-  
rā tibi esse, q̃ patriā esse, hoc enim felicitatis &  
fortunæ, illud meriti, & suę virtutis existimat.  
Dolet tamen tot tibi molestias exantlatas, tot  
lemas voraginū, præcipitia rupiū, aeris iniurias  
toleratas esse. Tumultūq̃ suorū & seditiōes de  
culpa dānat, de felicitate amat, hi enim causam  
præstitere, vt venires. nisi enī aliqd fuisset, qd̃  
in patria sanares, nō tā cito te recepissemus. Sin-  
gulos annos votis tui reditus fatigauimus, p̃ sin-  
gulos annos tuū aduentū estuantissimis affecti-  
bus suspirauimus, octēniū inter ardētissima de-  
syderia transactum nōros gemitus tandē finijt.

Reci



# ADVENTV CAESARIS.

Recipimus iam te qualem optamus, multa-  
 quæ votis concipere non audebamus, vltra vo-  
 ta nostra contigerūt. Vnicū enim nostrum vo-  
 tum fuit, vt te sanum reciperemus. in tua enim  
 sanitate nobis conseruantur, quæcūq; alij opta-  
 re possint. Optent alij incruentum imperium,  
 quorum ceruicibus sanguinarius tyrannus in-  
 cūbit, nos uerum patrię patrē habemus. Optēt  
 alij pacificum Regē, quorum Princeps bella ex  
 bellis seminat, nobis pacis studiosissimus Nu-  
 ma contigit. Desiderent alij bellatorē, quorum  
 Sardanapalus ignauia torpescit, nobis coelitus  
 Impator datus est multis uictorijs nobilitat⁹.  
 Desiderēt alij in suo Monarcha prudentiā, quo-  
 rum gubernaculis vecors Claudius assidet, no-  
 stra regna sapientissimus princeps moderatur,  
 & qui non minus suis consilijs instructus, q̃ ali-  
 enis intentus est. Requirant alij in suis magna-  
 nimitatem, liberalitatē, iustitiā, continētiam,  
 quorum principes istiusmodi uirtutibus desti-  
 tuuntur, nos ista non inter uota requirimus, sed  
 in nostro omnibus uirtutibus laudatissimo Cę-  
 sare possidemus. Vt autem ista non possidea-  
 mus securiter, sola mortalitas, morbi, ualeudi-  
 nes impedimēto sunt. Hinc est, quod te tā anxie  
 reducē suspirauimus. Redisti, ades, sanus, inco-  
 lumis, integer, plenus honorum, plenus triū-  
 horū, pacis, felicitatis. Intra oculos nostros,  
 intra complexus tuorū uersaris. Fas est uidere  
 maximū omniū principuū, fortunatissimum,  
 optimum. Licitū est intueri pectora, quæ or-  
 bis



# GRATVLATIO DE

orbis curam cōplexa sunt, permissum est cōspi-  
cere manus, quib⁹ mūdi sceptrā cōmissa sunt.  
Quā putas patriā tuam gloriari in tuis virtu-  
tibus, q̄ eā sibi placere credis? quę enim aliȝ in  
te venerātur, mirant̄, suspiciunt, adorant, hęc  
ipsa se genuisse prædicat. Efferant se Assyriȝ  
balsami prouentu, Arabes Phœnice, Indi ele-  
phantinis dentibus, Aethiopes gemmis, ipsa  
se de Caralo Cæsare meritissimo iactat. Vti  
nam illa vt est tuis virtutibus in sublimē eue-  
cta, ita crescente loci altitudine in tua oscula  
consurgere posset. Cæterum quod ipsa per na-  
turam agere non potest, id sorori tuę serenissi-  
mæ Hungarię Reginę propemodum deman-  
dare videtur. Illa patrię vices, cui ipsa in tua  
absentia mater fuit, abunde supplebit. Illa  
vestali animo, castissimis amplexibus, pudici-  
cissimis osculis tuum aduentum excipiet. Nos  
interim, dum tu amplexibus tuorum, dum sa-  
lutationibus distineris, cœleste numen con-  
precabimur, vt tuas virtutes orbi necessarias,  
orbi diutissime incolumēs velit, proculq; a te  
& morbos, & mortem arceat. Qua in parte,  
non ita orandum est, quasi pro uno principe,  
pro vno Imperatore, sed pro omnibus princi-  
pibus, pro omnibus Imperatoribus, quos vel  
hęc patria vnquam, vel Romanum Imperi-  
um habuit, preces fundendę essent. Habemus  
enim in te Iulios, Augustos, Neruas, Traia-  
nos, Fredericos, Maximilianos, Ferdinandos,  
Philippos, Solliciti sumus pro his omnibus ne  
hōs



ADVENTV CAESARIS.

hos omnes tecum amittamus. Non audemus i-  
stis virtutibus æternitatē precari. Obstat mor-  
talitas, obstat humana cōditio, obstat fatorū  
vis, sed fas est lōgissimam vitam optare, vt an-  
nos omnium suorum habeat, qui omnium su-  
orum virtutes possidet, quo diu habeat ecclesia  
eum propugnatorem, mundus eū moderatorē,  
quem semper optauit, habuit nunquā. Quod  
nobis præstet cœlestis numinis indulgentissi-  
ma pietas, cuius solius nutu, quicquid pre-  
ces nostræ orant, vota optant, desyde-  
ria suspirant, rata & efficacia  
reddi possunt.

FINIS.



Haur gratulatio nra Locianij  
7. februarij anno 1540.  
& diuino dio scribitur




HAB Wolfenbüttel 23



12 105 201








ALVENSLEBEN

Lh

180















lū vero necessitate metietur: memineritq;  
gentes non minus voluntati: aut vtilitati  
ti seruire. Solam Hispaniam ad honorē na  
o honore & viuere posse: & mori, q; si vos  
nimis vestris a natura penitus insedit glo  
do: si religionis pietas pro qua receptis ex  
nanibus multis Regnis victores sepe pug  
si deniq; vniuersi salus orbis mouet: patia  
se equo animo Regem vestrum perlatē

2

GRATV

LATIO DE ADVENTV

Imperatoris Caroli eius nominis

Quinti, per Petrum Nanniū

Alcmarianū apud Louas

niēses in Collegio tri

lingui siue Busli

diano Latinū

Professorē.



L 6 180

Louanij ex officina Rutgeri Rescŕj;

Anno M. D. XL.

Men. Febr.

Handwritten signature or mark.

